etiam Archiepiſcopum tam turpiter infamare conat⁹ ſit.
Hoc ſolum Capnioni demādatum fuit. a C. M· vt vna cū
ceteris vniuerſitatibus· expreſſe in mādato nominatꝭ. ſcri-
beret. quid de iudeorum libris quibuſdaꝫ ſupra bibliā edi-
tis agendum videretur O vtinā inclytiſſimus noſter im-
perator hāc epiſtolā ante duos ānos legiſſet: proculdubio
ipſuꝫ in gemonias ſcalas conieciſſet. tanq̃ de crimine leſe
maieſtatis apertiſſime conuictum Nemini igitur miruꝫ
ſi de me. ſi de doctore Arnoldo. ſi de magiſtro Ortwino.
ſi deniq̃ de alijs viris ſimul preſtātibus ⁊ bonis mentiri
audeat. cuꝫ de ſereniſſimo noſtro īperatore ⁊ Archipreſule
Moguntino iſtius negocij principe tā incredibilia in om̄i-
bus ſuis ſcriptis mentiatur. Et ideo non impugnatur a
doctorib⁹ ꝙ mādato imperatoris ⁊ precepto Archiepiſco-
pi ſcripſerit ſicut etiā ipſi ſcripſerunt. ſed ꝙ longe latius q̃
ſibi cōmiſſum fuit ſua temeritate euagatus ſit ⁊ ea ſcripſe-
rit in fauorem iudeoruꝫ que ſibi cōmiſſa nō fuerunt. ⁊c.

¶ Sexto. vt ad alia properemus Scribit ſe celere quid de
cremandis iudeorum libris ſenſiſſet ſecreto patefeciſſe. ꝛc.
Non debebat inq̃ tam celere ſcripſiſſe vt iam mādati im-
perialis oblitus in precipitium rueret. Quia ( vt ab alijs
ante tempora audiuit ) Auguſtus dicere ſolebat Feſtina
tarde. Quod igit̃ cito ⁊ male factum eſt. quandoq; vt pere-
at eſt neceſſe. Deinde in predictis verbis aliud mendaciū
incurrit. q̄ de cremandis iudeoꝝ libris conſultationē ha
bendam inſinuat. cum hoc ſereniſſimus noſter imperator
nulli vnq̃ cōmiſerit Quod qui credere noluerit Impera
toris mandatum legat Aliud eſt enim perluſtrare ⁊ ſuppri
mere ſonticos libros q̃ cōburere Vehementius ergo men
titus eſt in defenſione ſua. Aiij. columna prima. vbi ꝯmen
tus eſt hāc generalem ſibi oblatā queſtionem ( ⁊ ſunt ver
ba eius in forma ). An omnes iudeoꝝ libri preter bibliam
ſint perimendi. ⁊c̃. Nunq̃ illi neq; etiam quibuſuis alijs
talis fuit oblata queſtio Et q̄ hoc verum eſſe ab omibus
credat̃. ſcripſit paulo ante in eadem colūna. ſe neſciuꝫ fuiſſe
quid imperator ſtruere ſuo mādato vellet. niſi forte ( vt ipſe
ait ) libros iudeoꝝ comburere. ⁊c̃. Si dubitauit. quare in
hac epiſtola audet dicere. de cremādis iudeoꝝ libris Falſa
rius igitur quodāmodo mādati imperialis ⁊ quia incon
ſtans. preceps. ⁊ mendax. a nemine non dico defendendus
ſed ne audiendus quidem.

¶ Septimo. Facit iuramentuꝫ. mgr̃o noſtro Arnoldo. ſe
penitus immemorem fuiſſe omniū illorum quibus idem
etiā negocium a ſereniſſimo noſtro imperatore ⁊ archipre
ſule cōmiſſum fuit. o leuitatem intolerabilem o cecam im-
prudentiā Debebat homo preceps mādata ⁊ cōmiſſiones
diligentiſſime perſpexiſſe. priuſq̃ ſe ad ſcribenduꝫ contuliſ
ſet. Quid multa? Feſtinauit tantū hic bonus vir Iudeos
in ſua cōſultatione perperā defendendo. vt iam chriſtiano
rū ⁊ honeſtatis penitus eſſet oblitus.

¶ Octauo. ſcribit ſe nullius hominis contēptu ſcripſiſſe
ac in quinquaginta ſex annis nullum doctum leſiſſe. ⁊c.
Hoc falſum eſt. quia in ceco oculari ſuo ſpeculo cuꝫ appē
dicijs. inuectus eſt turpiter ⁊ implicite in patrem Grego-
rium. priorem domus Carthuſienſ prope Friburgenſem
ciuitatem virū religioſiſſimū doctiſſimum ⁊ optimū. Et

in ſignum veritatis ꝙ hoc feceris. feciſti manum depingi ad marginem vt tue malignitati ſatiſfaceres. Sed quare obſecro contempſiſti talem ac tantū virum O tu Reuchlin. niſi quia ex mādato imperatoris cum ſuis collegis. viris profecto clariſſimis. conterraneis quoqꝫ tuis. ⁊ ſupra nominatis. qui tuum theutonicū bene intellexerunt cōſultationem tuā non approbauit. ſicut patet in articulis qui ſunt penes imperatoriam maieſtatem. quemadmodū etiā ſupradictum eſt. ¶ Item leſiſti me proditorie in conſultatione tua. id quod facere non debueras. ſicut iam ſtatim ſatis ſufficienter eſt probatuꝫ. poſtremo leſiſti omnes doctores eccleſie ⁊ totam chriſtianitateꝫ id quod maiꝰ fuit ꝙꝫ ſi vnum leſiſſes. ¶ Taceo quomodo breui tpe vni ex noſtris amicoꝝ ſuoꝝ ſcribens gauiſus ſit de morte Archipſulis Moguntini Archiepiſcopi Colonienſis philippi (eo ꝙ contra eum eſſent) ⁊ doctoris Hieronymi imperatoris conſiliarij ⁊ prothonotarij apoſtolici. qui verus ſuperioriſta. vnus illorum trium ſuperioriſtaꝝ fuit. de quibꝰ dictuꝫ eſt ſupra. Taceo etiaꝫ quō laudauerit parrhyſienſes. ⁊ deinde vni poete apud nos ſcribens eos ſupra modū vituperauerit. Quod igitᷣ non fecit prius. hoc ſatis ſuperqꝫ poſtea in ſua ſenectute ſuppleuit. ⁊ propterea in nullo excuſandꝰ.

¶ Nono. Gloriatᷣ ſe compoſuiſſe dictionarium hebraicū ex induſtria ſua. ſed hoc falſum eſſe ſatis oſtēdi in alijs meis ſcriptis. eo ꝙ paꝝ aut nihil ex ſe habeat. ſed omnia emēdicauerit a iudeis. quibꝰ etiam nō erubeſcit ea glorioſe ſcribere que ſoli deo cōueniunt. ſicut infra latius patebit Dico igitᷣ quod ad penam mortis ſuſtinere paratus ſum. ꝙ ipſe Joannes Reuchlin nō nouit omnem iudeoꝝ ſcripturam legere. taceo intelligere. Falſo itaqꝫ ſibi tantā gloriaꝫ vendicat. qua minime dignus eſt. Dignus tamen. quemadmodum plerīqꝫ. qui aliquas auctoritates quandoqꝫ ex grecis afferunt ⁊ alia ignorant.

¶ Decimo. Scribit in epiſtola precedenti dubitatiue. ſcꝫ. potuit fieri. ⁊ in offenſione ſua. A. iij. colūna prīa affirmatiue loquitᷣ. ſe nullum decretuꝫ vidiſſe de cremādis iudeoꝝ libris. hoc ꝙꝫ ſit falſum in conſilijs vniuerſitatū patꝫ. vbi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-497706-p0052-0

multi iuriſconſulti allegãtur. qui illos apoſtolico decreto
combuſtos affirmant. ſicut etiam Parrhyſienſes in ſua
ſententia expreſſerunt Si igiť neq̨ theologus es. vt in ea-
dem iſta epiſtola fateris. neq̨ iurecõſultus. eo ꝗ principa-
les non legeris. debebas hoc conſultandi onus reliquiſſe.
nec tibi arroganter vendicaſſe quoꝝ peritiam non habe-
bas. neq̨ vnq̃ es habiturus Timendum eſt igiť ꝗ tua ſu-
perbia te decepit ⁊ ꝗ magis ſtudioſus ſis circa prophana
⁊ nihil ad eccl'iaꝫ pertinentia q̃z circa diuina aut ea que ſu-
pra firmam petram ſunt edificata.

¶ Vndecio Scribit in p̄cedēti ep'la ꝗ nequaq̃z ſplendidiſſi-
mum noſtrum gymnaſium cõtempſerit. id quod etiã ſatis
ſupq̨ oſtẽdit in ſuis ad nos ep'lis. in quibus ſupra modũ
⁊ in celum (prout oportuit) extulit vniuerſitatem noſtrã.
Sed quare obſecro ꝛ vt ſuis vulpinis adulatiõibus ſacra-
tiſſime theologie doctores a iuſticia auerteret. Verum non
ſunt theologi ipi aut iureconſulti (prudentes ſaltem viri)
ei⁹ nature vt ſeipos more porcoꝝ fricēt ⁊ ṽitatē deſerãt Ipe
igiť in ſua offenſione (defenſione dicere volui) q̃z fuerit in-
conſtãs. leuis ⁊ reprobus. pauci ſunt oĩm qui ignorant.

¶ Duodecimo. ſcribit fieri potuiſſe ꝗ nulluꝫ canonem de
cremandis iudeoꝝ libris inueniſſet. ⁊c. Primo igiť non
oſtendit ſe iureconſultum vt ſupra dictum eſt. Secundo
reſpondemus (ſicut ſupra) nunq̃z fuiſſe motam queſtionē
de cremandis oĩb⁹ iudeoꝝ libris. Tertio rñdemus. locũ
negatiuum (vt ab alijs intellexi per theutonicaꝫ informa-
tionem) nihil habere roboris. nihil firmitatis Quapropť
in fauorem iudeoꝝ ſatis ſtulte locutus eſt. Sed hanc ma-
teriam (quia ego eam non intelligo) alijs diſcutiendam re-
linquo. Id quod fortaſſe ⁊ proculdubio fiet.

¶ Decimotertio. ineptiſſime ſcribit. ſe vꝫ topico rhetoꝝ
more ad perſuadendum apto in ſua conſultatione vſum.
ac ſi fides catholica rhetoꝝ pompa vteretur. quod q̃z fal-
ſum atq̨ iniquũ ſit Chriſti exemplũ probat. qui nõ elegit
ſibi eloquentes aut pomposos. ſed piſcatores ⁊ indoctos

homines. In ſignū ꝙ eccl'ia non indigeret talibus vafricijs Non debuit igiť in ſua conſultatione Joānes Reuchlin ⁊ in cauſa fidei. talibus vti ambagibus. cum hoc illi neqꝫ a ſereniſſimo noſtro imperatore. neqꝫ ab Archi p̄ſule Moguntino demandatū eſſet. Sed nimia curioſitas (ſi veruꝫ fateri licet) excecat oculos. ⁊c̄.

¶ Decimoquarto ſcribit ſe nunq̄ꝫ fuiſſe diſcipulum ſacre theologie. ⁊ dicit ſe allegare theologica ſicut ſylueſtris ſacerdos allegat medicinā. miroꝛ igiť quare ſacraꝫ ſcripturā ſiniſtre a ſe allegatam non cōmutet in melius. miroꝛqꝫ amplius quare ſe tali ac tāto fidei negocio. tam late. tanqꝫ arroganter interpoſuerit. ⁊ iam pertinaci animo (id quod hereticoꝝ eſt) tot vniuerſitatibus reniti audeat. Sed fecit bonus ipſe vir Joannes Reuchlin quod plures alij fecerūt. qui alioꝝ hominū neq̄ꝫ ſiniſtris perſuaſionibus decepti. ſe ipſos incauti perdiderunt.

¶ Decimoquinto ſcribit ſe habere puram conſcientiam ⁊ omnia credere que eccleſia credit. ⁊c̄. Nihil eſt hoc dicere. dūmō ⁊ ſcripta ⁊ ꝟba ꝯtrariū pꝛobent. Scit enim ip̄e que ſcripſerit religioſo patri. magiſtro noſtro Conrado Kolin vlmenſi. v. ka. Fe. Anno. M. D. xij. ꝙ ſcꝫ verba debeāt deſeruire intentioni Si igiť talis fuit ipſius intentio ⁊ adhuc eſt. qualia ſunt eius ſcripta ⁊ verba. hereticum proculdubio ip̄m eſſe dicamus neceſſe eſt. ⁊ id verum eſſe multaruꝫ vniuerſitatum teſtimonia pꝛobāt.

¶ Decimoſexto. Oꝛat humiliter magiſtrū noſtrum. vt erroꝛes heretici ſibi in ſcriptis mittanť Adijcit quoqꝫ Cātet mihi gallus ⁊ flebo. ⁊c̄. ac ſi diceret Cum mihi loca manifeſtata fuerint in quibus erraui. tunc paratus ero omnia reuocare Sed aſtutam vapido gerit ſub pectoꝛe vulpem. Miſſi fuerunt ip̄i articuli. accepit erroꝛes ſuos a doctoꝛibꝰ noſtris. ſed nihil reuocauit vt infra latius poſt epiſtolam vniuerſitatis noſtre ſequentem narrať. ¶ Arrigant igitur hoc loco aures ſuas Reuchliniſte quidam ⁊ in corde doleant qui non erubuerunt falſis ſuſurrationibus circūterre ⁊ multos decipere. dicentes. ꝙ articuli erronei non eſſent

ipi ꝑ noſtros miſſi. ⁊c. Hec autem quia latius infra proba
turus ſum. ⁊ quia in epl'a ſequēti patent. hic miſſa facio.

¶ Decimoſeptimo. hoc in primis notandum eſt ꝙ Joan
nes Reuchlin ſcripſit ſe velle obedire doctoribus noſtris
⁊ omnia ſe facturꝝ. dummodo fieret cum honore nominis
ſui Sic enim (id quod negare non poteſt) ſemꝑ ſcripſit in
omnibus epiſtolis ſuis ad magiſtros nr̄os ab eo miſſis.
Sed quid hoc eſt ſi vanitas non eſt. Pueri volunt male
facere ſed nolunt corrigi. Fur quidam furatus eſt calicem
ſed non vult ſuſpendi. Petrus deliquit ſed non vult con
fiteri. ⁊c. Qui publice peccat publice peniteat ⁊ publice pu
niatur. Non poteſt igit̄ ſcandalum publicum (quod iam
totum pene orbeȝ obumbrauit) e medio tolli. niſi per pub
licam reuocationem. idqꝫ ita fieri debere. vniuerſitates ali
quot ſuis ſententijs approbarunt.

¶ Vltimo. Jubeas (inquit) velim. ⁊ monitus recondam
gladium. ⁊c. vult ſibi per noſtros precipi ſed non vult obe
dire. neqꝫ etiam p̄ceptis obediuit. ſed dum ſimularet ſe obe
dire velle. theutonicaȝ edidit declarationem que nihil fuit
ad ꝓpoſitum. vt ſtatim immediate poſt epiſtolam ſequentē
dicet̄. ¶ Preterea minat̄ nobis hoc loco. dicens. mo
nitus recondam gladium Hoc q̄ꝫ ſit puerile quis non vi
det? Non ſunt tam leues magiſtri noſtri aliaꝝqꝫ vniuerſi
tatum doctores vt vel pompoſis laudibꝰ intumeſcāt. aut
prauis adulationibus cõmoueāt̄. aut minis terreant̄. quo
minus id quod iuſtum eſt in eccleſia dei ꝓficiant. Quid
multa? Minatus eſt ſepiſſime nobis in epiſtolis ſuis. q̄ꝫq̄ꝫ
minus prudenter vt infra latius dicet̄. Quaꝓpter ad conti
nuationem hiſtorie redeundo. quid noſtra vniuerſitas ipī
rñ derit videamus Neceſſe eſt enim vt hoc loco breuis ſim
Nam ſi ſingula ⁊ que in hac epiſtola ⁊ que in ceteris (ma
xime ad parrhyſienſes) falſe ac ꝑperam ſcripſit. explicare
contendero. oporteret me volumen ampliſſimum inſtar
biblie componere Nos igitur que ſequunt̄ ſyncero men
tis oculo ꝑluſtremus. ⁊c.

¶ Hmōi lr̄as ⁊ errores ipi⁹ oc'laris ſpecl'i vna cū gloſſa, ꝓpo
ſuerūt vniuerſitati p̄fati doctores ⁊ de articl'o ad articulū
adnotarunt ⁊ vnanimiter omnia perpendentes vero veri⁹
cognouerunt libellum eſſe ſparſum multis ſcandaloſis ſer
monibus: ⁊ fauore perfidoꝝ iudeoꝝ: contra bonos mores
⁊ hōneſtatē Roma. eccleſie: non attentis per noſtros do-
ctores ſuis gloſſis in calce libri ſatis debiliter appoſitis.
Quod ſi hoc aliquid ad rem faceret ꝙ aliquis deprehēſus
⁊ notatus in aliquo maleficio. velit facere gloſſemata: tūc
omnium furuꝫ peſſimus ac etiam traditores ſuam nequi
tiam in bonā ꝑtem exponere poſſent. ⁊ ſic nunq̄ꝫ eſſet iuſti
cie executio. Verum enimuero. ſcripſerit ipſe q̄uocūq̄ꝫ ſcripſe
rit. fuere inter ſeculares doctores religioſi etiam vt. Dn̄s
Conradus prenominatus in continuo labore. quomodo
poſſint Joannem Reuchlin cōmode eruere: ⁊ maxime cū
ip̄e in lr̄is ſuis ꝓmiſſis ſcripſerit. ſe obtemperaturum ſacre
Romane eccleſie ⁊ vniuerſitati Colonienſi. ¶ Ego igit̄ ꝑ
immortalem iuro deum. ꝙ omnes docti ⁊ predicatores cō
doluerunt Joanni Reuchlin propter ſenium ⁊ eruditio-
nem ſuam q̄ male erat vſus: quo pacto potuiſſent inuenire
viam vt contra ſuam ꝑſonam nihil agerent ſed ſolum ad
ſupprimenda ob honorem eccleſie ſcandaloſa ſua ſcripta:
⁊ propterea miſerunt ad Joannem Reuchlin xp̄ianaꝫ in
ſtructioneꝫ ⁊ adhortatorias lr̄as his v̄bis ſubſequentib⁹.

¶ Vniuerſitatis Colonien̄ chriſtiana inſtructio ad Joan
nem Reuchlin erroris ſui gratia dimittēdi ⁊ ſupprimendi.

¶ Sequit̄ Copia lr̄arum primaꝝ facultatis ad doctorem
Reuchlin in cauſa conſultationis ſue vulgo impreſſe.

¶ Spiritū ꝯſilij ſanioris. Fuit nob̄ ſpectabil' ⁊ egregie vir
poſt proxias nūdinas frāckfordienſes. oblat⁹ quidā tracta
tus ſb̄ titulo ſpeculi ocularis tuo nōie inſcriptus. quē dū
nōnullis ex noſtris reuiſendū examinādū. tradidiſſem⁹. cō
perim⁹ in eo. q̄d neq̄ꝫ ex te neq̄ꝫ ex q̄q̄ꝫ xp̄iano nr̄o ſperaba
mus. te ſcꝫ in eo tractatu in modū ꝯſultatiōis oīb⁹ tuis

viribus annixum vt reuerēdiſſimo in chriſto patri ac prin
cipi electori dño noſtro gratioſiſſimo Vrieli Archipreſuli
Moguñtino. ac ꝑ illũ sereniſſime imperatorie maieſtati per
ſuaderes ſuꝑ negotio libroꝝ iudaicoꝝ. quatenus idem ne
gociũ laudabiliter per eandē Ce. maieſtatem ceptuꝫ intuer
teres. quod vt cōmodius (vti forte tibi viſum fuit) faceres
multa ad reꝫ imꝑtinentia latiſſime porrecto calamo quaſi
quicq̄d tibi in via q̄ ibas occurrere potuit decerꝑe voluiſſes
in vnũ coegiſti. quo factum eſt vt feſtin⁹ ad terminũ q̊ pro
perabas ⁊ incaut⁹ non ſatis probaueris an roſas forte an
vrentes vrticas aut male olentes flores inconcinne in ſtũ
cōponeres Ac ꝑ hoc non ſolũ nimie fautorie iudaice perfi
die notam improuidus apd̕ chriſtianos lectores incurriſti
Sed ⁊ iudeis ipſis crucis ⁊ ſanguinis q̊ nos loti ⁊ redemp
ti ſum⁹ inimicis. qui vti nob̄ relatuꝫ eſt hunc tuũ tractatũ
vernacula noſtra lingua editũ ⁊ imp̄ſſum legunt ⁊ circũ-
ferunt occaſionē p̄ſtitiſti quo ampli⁹ nos irrideant. quādo
inter xp̄ianos ⁊ quidē inter eos qui inprimis docti reputā
tur te vnicũ inuenerũt. qui ſuā cauſam agat tuter̄ ac defen
dat. q̄ſi neqꝫ chriſtũ neqꝫ v̄ginem matrē neqꝫ apoſtolos ne
qꝫ fidem noſtrā intemeratā blaſphement vnq̄ꝫ aut vitupe
rent. ſꝫ quicq̄d faciāt. aut maiores coꝝ ſcripſerint in ſui de
fenſionem ⁊ nulli in preiudiciũ aut vituperiũ fecerint. Et
quia vt illud imperatorie maieſtati ſufficienter perſuadere
poſſes varias ⁊ quaſdam inualidas rationes aranearum
telis fragiliores adduxiſti. auctoritates quoqꝫ diuerſas
ſcripture ſacre ⁊ ſacroꝝ doctoꝝ renitentes ad ſenſum quē
tu volebas cōtorſiſti Nōnullas etiā ꝓpoēs male ſonātes
⁊ piaꝝ xp̄ifideliũ auriũ offenſiuas hinc inde interſeruiſti
quo ſuſpectum te reddis quaſi nō caſte pure ⁊ ſinceriter vt
oportet de fide de ſcripturis ſacris de eccl'iaſticis tractato
rib⁹ ſentias Quod nos vehementer ⁊ plus quam dici po
teſt dolem⁹ vtputa. con membro noſtro infirmato pro xp̄ia
na pietate cōdolentes Nam teſte apoſtolo omnes vnum
corp⁹ ſum⁹ quotq̄t in xp̄o baptizati ſum⁹ Ne ergo malũ
hoc latius in alios ſerperet Neqꝫ in eo tu computreſceres
nec ꝑfidi iudei in immēſuꝫ gl'iarent͛. Mature deliberauim⁹
de mō ꝑ q̊ nos ⁊ alios quoꝝ id maxime intereſt huic malo
occurrerer͛. veꝝ nūc paucis exactꝭ dieb⁹ venerādi mgr̄i nr̄i

Arnoldus de Tungeri ⁊ Conradus kolin confratres no
ſtri nobis quaſdam lr̃as ex te ad ſe datas oſtenderunt ⁊ le
gerunt. quibus reuera non parum fuimus exhilerati. ꝙ
illis infirmitatem tuam ⁊ improuidum errorem humiliter
ac catholice fatebaris. rogando eoſdez. quatenus te noſtro
collegio commendarent ac ſingula in ꝑtem benigniorem
coram nobis interpretarent̃. Quod ⁊ ipſi diligent̃ cum mag
na charitate (quemadmodum petiſti) facere curauerunt.
Effecerunt quoqꝫ his litteris vt te catholicum eccleſie verꝫ
⁊ obedientem filium reputamus ⁊ reputabimus. ſi quod
vulgo male ſparſiſti recolligere ſtudeas et lapides tollere
quo alij in via dei ſunt offenſi. ſicut in hieremia ſcriptū eſt.
tollite de via lapides. verꝫ quia te ſcripſiſti non meminiſſe
vbi nam ſcandali occaſionez preſtitiſſes aut ſcripturas ex
poſuiſſes aliter q̃ʒ patiat̃ intellectus eccleſie. Idcirco his
noſtris lr̃is indicem implicatum mittimus in quo annota
te ſunt propōes ⁊ allegationes ſpſim ꝑ te ex ſcriptura ſa
cra ⁊ ex vtroqꝫ etiam iure impertinenter allate. ſuꝑ quibus.
(vt nobis viſum eſt) in apologetico tuo. quod latine ſcrip
tum conſultationi tue iunxiſti. non ſatis pro fidei tue ſyn
ceritate te expurgaſti Super his ergo petimus vt per tua
ſcripta nos latius mentem tuam reuelando informes aut
exemplo humilis ⁊ ſapientis Auguſtini palinodiam can
tando retractes. hec enim eſt ingenua ⁊ vere chriſtiana cū
charitate ſeueritas: corrigere atqꝫ emēdare opus quod im
prouida ⁊ male circumſpecta feſtinātia ſtruxit. quatenꝰ in
tegritatem in te ſuā fides incontaminata cuſtodiat. Vale
Anno. M. D. xij. ſc̃da Januarij.

¶ Ex his lr̃is poteſt vnuſquiſqꝫ amator veritatis funditus
ꝑcipere. ꝙ laudabilis vniuerſitas Colonienſis (in qua tot
egregij ⁊ honeſti ⁊ bñ docti viri ſt̃) non fuerit inclinata Jo
annem Reuchlin ledere aut honorem eius carpe. ſed ſolū
mō ſupfluam maliciam chriſtiane eccleſie extinguere ⁊ ab
hominibus tollere. ⁊c̃. Nunc ſi Reuchlin ita feciſſet quē
admodum ſcripſerat ſe facturꝫ. tunc in hunc vſqꝫ diem ni
hil de hac cauſa ſciretur. fuiſſetqꝫ penitus extincta Verum
Reuchlin ꝑtinax effectus pro ſuis peccatis nullum vole
bat pati dolorem: etiam diabolus ſuꝑbiam ſuaz deponere

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-497706-p0058-4

nolebat nec dicere potuit. domine miſerere mei. Erraui ⁊ iniuſte feci. quemadmodū Regius propheta ⁊ diuus Auguſtinꝰ fecerunt. Sed Reuchlin tandē aſtucia ſua effinxit in conſultationem ſuam ⁊ etiā in ſuas antiquas declarationes. alias nouas ⁊ theutonicas interpretationes. quibꝰ nomen dedit Clara ocularis ſpeculi declaratio ad obtinendā in mūdo illā. credēs ſe noua illa theutonica declaratōe voluntati doctoꝝ ⁊ ſcādalo publico ſatiſfacere potuiſſe. Sed hꝰ q̄ꝫ oīno puerile eēt ⁊ vanū nemo bonꝰ ignorabit.

## Nota lector.

¶ Ad hoc igit̄ declarandū. fuit ſepe admonitus Joānes Reuchlin a noſtris. ⁊ id quidem piiſſime. vt illius ad noſtros ⁊ noſtroꝝ ad illū epiſtole teſtant̄. vt tandem beatum Auguſtinum ſequendo. errores ſuos legitimis ⁊ apertis ⁊ ſufficientibus declarationibus reuocaret. Qd̄ cum ſe facere velle callidiꝰ promiſiſſet edidit theutonicas declarationes cum aliquot inuectiuis paꝝ aut nihil a latinis antea impreſſas diſcrepātes. Hoc ergo vbi doctores noſtri conſiderarūt. ⁊ nihil ab eo preter verba ac illuſionem acciperēt, iuſtiſſima occaſione contra eum habita. publice contra eū ſcripſerunt. ⁊ id quidem nō ſolum doctores ipi Colonienſes. veꝝ ⁊ alij pleriqꝫ diuerſaꝝ vniuerſitatum doctiſſimi celeberrimiqꝫ viri vt poſtea ſequet̄. Hanc igit̄ ob cauſam ſereniſſimus ipe imperator. gratioſiſſimus noſter dominꝰ ⁊ ſupmus defenſor chriſtianitatis ex innata charitate ⁊ deuotione quā erga fidem chriſtianā habet: publicum mādatum contra Joannem Reuchlin emiſit. ſonans de verbo ad verbū hoc modo.

¶ Mandatum contra ſpeculum oculare Joānis Reuchlin ad areſtādum ⁊ deponendū in locis ad vlteriorem cōmiſſionem.

NOs Maximilianꝰ dei gratia electus Romanoꝝ Imperator ſemp Auguſtꝰ. ac Germanie. Hungarie Dalmacie ⁊ Croacie. ⁊c. Rex. Archidux. Auſtrie. dux Burgū

die ⁊ Brabantie ⁊ Comes palatinus. ⁊c. optamꝰ ſiue nun
ciamus omibus impij electoribus: principibus tam eccl'ia
ſticis ꝙ̄ ſecularibus prelatis: Comitibꝰ. liberis dn̄is Equi
tibus auratis. ⁊c. Capitaneis: Schulteris: Conſulibus.
Senatoribꝰ: Ciuibꝰ: cōmunitati ⁊ omibus reliquis nr̄is
⁊ impij ſubditis ac fidis. in quacūqꝫ dignitate ſtatu ve ſunt
⁊ p̄ſertim conſulibꝰ ⁊ ſenatui franckfordienſi. ⁊ quibus he
noſtre lr̄e indicant̄ noſtram gratiam ⁊ omne bonum. Ve
rabiles illuſtres chari nepotes electores imperij principes
nobiles. honeſti. deuoti ⁊ chari nobiſqꝫ fidi. Nobis comp
tum eſt Joannem Reuchlin legum doctorem. aliquos li
bellos compoſuiſſe. impreſſiſſe ac publice vendidiſſe. atqꝫ
emiſiſſe. in quibus ip̄e inter reliquos valde multos articu
los expreſſit. qui iudaicoꝝ libroꝝ negocio vtiles ⁊ noſtre
xp̄iane fidei in contumeliam eſſe poſſent. ꝓpter quos iudei
nō ſolū in ſua obſtinata cecitate roborarent̄ ſed etiā multi
xp̄iani ſimplices peruerterent̄. In hoc nobis tanqꝫ Roma
no Imꝑatori ac ſup̄mo capiti ⁊ defenſori xp̄ianitatꝭ proſpi
cere cōuenit. Mandamꝰ igit̄ vobis omnibus ⁊ vnicuiqꝫ
vr̄m ſub pena amiſſionis gratie noſtre. diſtricte mādantes
ac etiā volētes ꝙ vos p̄noīatos libros Joānis Reuchlin
vbiqꝫ in vr̄is prouincijs. ciuitatibꝰ ⁊ ducatibꝰ: vēdere aut
emittere nequaqꝫ ꝑmittatis. Sed eos ad manꝰ vr̄as ꝑ ar
reſtationem recipiatis. ⁊ id quidē ꝑ cautionem noſtre pene
In hoc expletis nr̄am ſynceram demandationē. Datum
Colonie ſeptimo die menſis Octobris Anno. ⁊c.

Per Regem pro.
ad mandatum dn̄i Imꝑatoris.
Serenteiner.

¶ Nunc poſtqꝫ mādatū tale cōtra Joānem Reuchlin ex
auditum eſt ⁊ ſe nullo pacto excuſare poſſet. Itemqꝫ cū vi
deret excellentiſſimū doctorē mgr̄m nr̄m dn̄m Arnoldum
de Tungari ex mādato legitime ⁊ ſancte ꝯtra cū ſcripſiſſe
ſicut iam p̄narratuꝫ eſt. accepit ad ſe alios ſeptē immūdos
ſp̄us eos cōmouens aduerſus vniuerſitates ⁊ inprimis cō
tra venerabilē deuotū ⁊ apprime doctū viꝝ mgr̄m Arnol
dum de Tungari. p̄cipuū amatorē veritatis. de quo etiam

Joãnes Reuchlin ſepiſſime oĩs excellẽtie in ſuis lr̃is teſti monium dedit. ſe ei ꝑ omnẽ obedientiã ſubmittens Sz dia bolus qꝛ mendax eſt ⁊ omnẽ ꝑtinaciam inſibilat omnẽq; maliciã. libellũ quendã famoſuz bonarũ auriũ offenſiuum ſuã vicz impudẽtiſſimã defenſionẽ de nouo ipſe edidit ⁊ ad nũdinas ciuitatis franckfordienſis vt venderet emiſit. ꝓpẽ quod iudei maxĩe letabantᷣ. dicentes. ꝙ deus nũq̃ defuiſſet eos in ſuis tribulationibus Quemadmodum plebanus franckfordienſis ad magiſtrum Arnoldum de Tungari ſcripſit. quo pacto Judei ex libris Reuchlinianis deterio res eſſent facti. que littere ſic ſonant.

¶ Poſt deuotam ſui recõmendationẽ. S. P. D. Venera bilis ⁊ Egregie dñe doctor. binas litteras . D. D. pridie ꝑ mgrm̃ Georgiũ de Nurnberga accepi. vnas quibus ſcat . D. v. quid de libello Reuchlin actũ ſit ⁊ gaudeo vehemẽ ter eſſe viros bonos pro ꝟitatis defenſione decertantes. ne impij iudei de noſtra religione riſum decetero vt hacten⁹ fecerunt moueant Quia manifeſte nobiſcum dixerunt ꝙ dñs nunq̃ dereliquerit eos. ſed ſemꝑ nouos mittat defen ſores Altere lr̃e erant copie lr̃arum Reuchlins. in quib⁹ ſatis ſe humiliat. vtinam hoc antea feciſſet. priuſq̃ virus hoc in religionem ⁊ curioſos chriſtianos effudiſſet. ⁊c̃. Valete meq; vt veſtrum diligite Datum Franckfordie in die Scholaſtice virginis. Anno. ⁊c̃. duodecimo.

Petrus meyer Francfor denſium plebanus.

¶ Verumenimuero. quia Joãnes Reuchlin vltra mãda tum imperatoriũ (vt ante dictum eſt) nouum libellum fa moſum edidit in malum exemplũ oĩm hominũ (cui eſt no mẽ defenſio) ſed poti⁹ offenſio. Ce. m. iuſte prouocata ſcd̃a vice. alterũ mãdatũ emiſit ꝑ totũ impꝰium contra Joãnis Reuchlin vicioſos libros hoc eſt contra oculare ſpeculuz ⁊ ipſius defenſionẽ iniuſtã ſic ſonãs.

¶ Nos Maximilian⁹ ⁊c̃. optam⁹ ⁊ nũciam⁹ om̃ib⁹ ⁊ ſingl̃ impij electorib⁹. pri. tã eccl̃iaſticis q̃ ſcl̃arib⁹ plat; Comitib⁹ liberis dñis, equitibus auratis Capitaneis. cõſulibus. ⁊c̃.

Omnibus etiā alijs·nobis ⁊ impio noſtro ſubditis cuiuſ
cumqꝫ ſtatus aut conditōis exiſtentibꝰ.quibus he noſtre
imperiales lrē aut copie fideles exhibite.lecte.aut pronun
ciate fuerint.⁊c̄.noſtrā gratiam ⁊ omne bonum Venera
biles.illuſtres chari nepotes electores impij.principes no
biles.honeſti.deuoti nobiſqꝫ fidi Sicuti nos tpe exacto in
honorem ⁊ laudē omipotentis dei.etiā ſuſtentationez no
ſtre ſacre fidei.ipſis iudeis in imperio noſtro exiſtentibus.
eoꝝ Thalmud ⁊ alios libros.quibus cōtra fidem chriſtia
nam ⁊ ſua precepta vtūtur.⁊ per hoc in vlteriorem errorē
deueniunt.tollere decreuimꝰ.Et propterea aliquos libros
videre ⁊ auferre permiſimus.Itemqꝫ cum nunc propter
noſtra imperijqꝫ noſtri negotia ingentia in hoc ad tempꝰ
quieſcendum duximus.volentes tamē cum tempe in hoc
negocio vlterius tractare.facti nūc ſumꝰ certiores.qūo Jo
annes Reuchlin legum doctor·ſingulariter iteꝝ ⁊ nuper
emiſerit ⁊ impmi publice fecerit libellum quendā.in quo
ipē totam facultatē theologicam vniuerſitatis Colonien
ſis.⁊ honeſtum nobiſqꝫ deuotum viꝝ Arnoldum de Tun
gari ſacre ſcripture doctorē qꝫ turpiſſime carpat ⁊ infamet
Cum igit̄ talis libellus famoſus noſtro ꝓpoſito ſit ꝯtrariꝰ
⁊ cōis plebecula deterior efficiat̄.huius cauſa.nobis tanqꝫ
Romano Impatori.ſupmo capiti ⁊ protectori eccl'ie xpia
ne diligenter proſpiciendum eſt.Quare mandamꝰ vobis
omibus ⁊ preſertim noſtris charis nepotibus ⁊ electoribꝰ
impij Archiepis Moguntino Colonienſi ⁊ Treuerenſi.
etiam heretice prauitatis inquiſitoribꝰ.vt vos tales preta
ctos libros quos Joannes Reuchlin in cauſis iudeoruz
edidit.in vrīs prouincijs.ciuitatibꝰ e medio tollatis ⁊ ſup
primere faciatis.nec eos vendi.aut emi pmittatis ⁊ id per
penā noſtrā ad hoc reſeruatā.vrīs etiā mandādo vt hmōi
libri ſupprimant̄.ita vt illis eiſdem libris nemo peior effi
ciat̄ aut infamet̄. In hoc ſynceriter facietis noſtrā volunta
tē.Datū in Confluentia.nono die menſis Julij.Anno.⁊c̄.

Per Regem.pro.

Ad mandatum Ceſarie maieſtatis proprium.

Gabriel vogt.

## Nota Primo.

¶O tu chriſtiane qui conſcientiã habes. intuere obſecro
veritatem. ⁊ noli leuibꝰ caligantis fumuli ſcriptis inuerti
deqꝫ gradu ſapiẽtie in ſentinam ſtulticie deijci. Noli inqꝫ
obliquis ac plane falſis Reuchliniſtarum ꝑſuaſionibꝰ in
ſcylleos ſcopulos. inqꝫ cecitatis inuolucra ⁊ in perplexas
labyrinthi ambages detrudi Nõne ex his duobꝰ precedẽ
tibus mãdatis ſatis ſupqꝫ liq̃t. sereniſſimũ noſtrum impa
torem. nunq̃ꝫ Joãni Reuchlin demandaſſe. vt vel hereſim
in ſua conſultatione ſcriberet. vel ſcandala. inuectiuas. op
probria. falſitates. iniurias. blaſphemiam. cõtumelias ac
mille tãdem mẽdacia aut plura fortaſſe. in ſua (vt ipe ait)
defenſione. turpiter nimiſqꝫ impudenter. nullis etiam pre
cedentibus demeritis (modo rem ipam rite libremus) effu
tiret Quippe ſi talia Ceſarea Ma. (quod abſit) impaſſet.
nũq̃ꝫ poſtea inhibuiſſet. Quod q̃ꝫ ſit verꝝ nemo eſt omniũ
qui non videt. Verꝝ de his ⁊ alijs pluribꝰ ineptijs atqꝫ mẽ
dacijs latius infra ſub breuiloquio dicemus.

## Nota Scdo.

¶Ego Joannes Pepericornus ſcripſi ſtatim ſup̃. me vo
verius probaturꝝ ipm ſcꝫ Joannem Reuchlin nr̃m calũ
niatoreꝫ ſuas hereticas prauitates ſtygioſqꝫ ſuos errores.
a noſtris doctoribus (id quod in hũc vſqꝫ diem Reuchli
niſte ipi falſo negarunt) ꝑ lr̃as in ſchedulis recepiſſe. Hoc
enim ⁊ ſi ex epiſtola vniuerſitatis noſtre ad ipſum miſſa
⁊ hic pauloante ad oculũ poſita ſatis liqueat. tamen in ve
ritatꝫ confirmationẽ. ⁊ maxime vt nodus nodo vinciatur.
afferre in medium libuit. q̃ in epiſtola ſua ad primas theo
logice facultatꝫ litteras. ſexto kal. Fe. Anno. M. D. xij. ex
Stutgardia noſtris doctoribus ſcripſerit Sunt igit̃ hec
ipſius verba. ¶Cupitis primũ de me experiri. ſim ne
deſertor an amator veritatis catholice Quare ꝓpoſitiões q̃ſdã
ex meo conſilio de cremandis iudeoꝝ libris dato. que vo
bis friuole. ſcandaloſe. ⁊ minus bene ſonãtes videant̃ exce
pi. earumqꝫ exemplũ ad me veſtris cum lr̃is tranſmiſiſtis.

deſyderātes vt poſt declarationes. p̄us a me ſimul cū cōſi
lio meo editas latiꝰ mentē meā reuelādo. vr̄as dn̄ationes
informē. qꝛ nō ſatis pro fidei mei ſynceritate (ſm ꝙ vobis
viſum ſit) me expurgauerim Ubi profecto latere nō p̄t ſed
ſeip̄m plane oſtendit ingens virtus humilitatꝫ veſtre. qui
vt vnanimes idem ip̄z ſentiamꝰ. nihil ꝑ contentionē. neqꝫ
ꝑ inanem gl'iam in vera q̄dem hūilitate a me poſcitis vlte
riorē declarationez ſiue informationē vt lr̄e vr̄e ſonāt Ego
ṽo agnoſcens ingenij mei tenuitatē quod ſentio q̄ȝ ſit exi
guū. explicare theologicas ſubtilitates. mihi tanq̄ȝ laico et
quidē digamo temere nō arrogauero Cui explicatōes fidei
⁊ ſingulares eiꝰ deciſiones recte licebit ſine culpa ignorare
Defero aūt omnē hmōi honorem excellentiſſime facultati
vr̄e. paratꝰ nūc ⁊ ſꝑ vbicumqꝫ errauerim benigne potiꝰ cor
rigi in miſc'dia a iuſto q̄ȝ vt caput meū impinguet oleū pec
catoris. ⁊c. hec ille. Ex iſtis verbis (chariſſimi mei) ſa
tis patet. aduerſarium nr̄m ſuos errores a noſtris recepiſ-
ſe. ⁊ ob idip̄m Reuchliniſtas pleroſqꝫ in hunc vſqꝫ diem
ſatis miſere per deuia etiā ⁊ ſcienter q̄d peiꝰ eſt aberraſſe.

## Nota Tertio

¶ Ex verbis precedentibus Joannis Reuchlin multa
etiam p̄ter id quod volui conſiderant. Primo ꝙ fatet̄ cō-
ſilium ſuū vna cū declarationibus (vt ſupra dictuz eſt) in
lucem veniſſe. Sc'do ꝙ g̃to accepit animo. noſtris (vt ipi
ſcripſerunt) ſe minus per ſuas elucidationes ſatiſfeciſſe. cū
tamen poſtea in ſua offenſione ob hāc cau'd rationem plu
rimuz blaſphemet atqꝫ indignet̄. Tertio dicit ꝙ noſtri do
ctores. nihil (ſicutiverum eſt) per contentionez aut per in-
anem gloriam queſierint. ⁊c. Hiſce ſuis ⁊ alijs verbis q̄trū
in ſua tandem offenſione inconſtanter contradixerit. pauci
admodum ſunt qui idipſum ignorent. Reliqua igitur
que ſuperſunt ⁊ ex precedentibus aduerſarij. aut in Chri-
ſto potius amici verbis capi poſſunt. optimo cuiqꝫ diſcu-
tienda relinquo. .:. .:. .:.

## Nota Quarto

¶ Poſſet hoc loco Reuchliniſtaꝝ mihi aliquis obiectare
Noſter fortaſſe Capnion latiores adhuc informatiōes ab
vniuerſitate tua ſibi mitti deſiderauit. Quid obſecro tot ac
tantis informationibꝰ vltro citroqꝫ opus eſſe potuit. vbi
antea ( vt ſtatim ip̄e confeſſus eſt ) ſuas edidiſſet in oculare
ſpeculum declarationes. ⁊ poſtea theutonicas. ſub eadem
pene forma ( vt ſupra memoratum eſt ) edendo nihil ad reꝫ
fecerit. quin potius noſtris illuſerit. Qualis eſt ille doctor
aut potiꝰ ( vt mihi tempereꝫ ) ſeductor. qui duplices in ſua
ſcripta declarationes ſcribendo. diuerſaruꝫ vniuerſitatum
doctoribus pro fidei ſynceritate ac puritate ſatiſfacere nō
poteſt? Nunquid alijs vniuerſitatibus ac conſultoribus
commentarijs. declarationibuſue eſt vllis opus? Minime
inq̄. Syncere etenim ⁊ catholice ſcripſerunt. ¶ Itemqꝫ ſi
latiorem adhuc declarationeꝫ ſupra q̄ oportuit habere vo-
luiſſet. debuiſſet tandem ⁊ ab Erphordenſibus ⁊ a Mogū-
tinis ⁊ a tribus potiſſimum illis ( de quibus ante dictuꝫ
eſt ) clariſſimis viris ſibiqꝫ finitimis ſuorum errorum lati-
bula queſiſſe.

## Nota Quinto.

¶ Nūc aūt q̄ de informatiōibꝰ loquimur. q̄s a nr̄is docto-
ribus nimis ſuperabundāter expoſtulauit. conſideremus
oportꝫ ipſius hoīs inſciciam. Noſſe enim debuit. publicaꝫ
ſibi dūtaxat reuocationem. ⁊ nihil aliud. tum ad honoreꝫ
Jheſu chriſti tum ad fidei augmentum. tum ad eccl'ie fir-
mitatem omniūqꝫ chriſtifidelium saluteꝫ reſtare. Illa etem̄
vera atqꝫ om̄ibus ſufficiens declaratio fuiſſet. Nā quid ne-
ceſſe erat illi vt tam curioſe tanqꝫ arroganter in orthodoxe
fidei negocio ſcriberet. vt nunc ſit ſibylla opꝰ interprete?
Nō emeritꝰ miles ſed tyro ſepiuſcule redarguendꝰ. Quid
capularis ſenex ⁊ qui doctiſſimum ſe haberi vult tantas
ſuorum ſcriptorum ab alijs declarationes expoſtulabit?
Ridicula me hercule res eſt ac penitus deteſtanda. voluit
fortaſſe ad longum platonis annum ⁊ ad kalendas gre-
cas informari. vt ſic longo annorum diſcurſu euoluto. in
ſua ip̄e hereſi aut opiniōe p̄ua ( citra tn̄ ſui nominis notā )

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-497706-p0065-2

ꝑmaneret ⁊ abſq̄ condigna correctiõe immunis euaderet. ¶ Ceteꝝ quid in om̄ibus ſuis ſcriptis facit amicꝰ noſter r Lupũ in ꝑiculis emulat̄. qui in foſſã incaute lapſus. quo magis exitum vnguibus ſcalpendo parat. eo magis ⁊ os ⁊ oculos ſtercoribus opplet Nullis igit̄ ambagibus. null̄ contẽtionibus. nullis inuectiuis. nullo mendacio. nullo colore. nulla tandẽ eloquentia ſeſe his rationibus exoluet. ſed hõ infamis (niſi nouũ viꝝ induat) in ẽtnũ ꝑmanebit.

## Sequit̄ hiſtoria

Nam reliqua latius infra dicentur.

¶ Quamq̄ Archiepi ⁊ heretice prauitatis inquiſitor duplices illos ſcandaloſos libros. hoc eſt ⁊ oculare ſpeculum ⁊ defenſionem ipſius Joannis Reuchlin iuxta cõmiſſionẽ ⁊ mandatum Ceſaree maieſtatis tollere ⁊ ſuppmere eueſtigio licite potuiſſent. tamen ne Joãnes Reuchlin poſſet interloqui aut conqueri (quemadmodũ a principio huiꝰ negocij in hunc vſq̄ diem fecit) ſic heretice prauitatis inquiſitor ex commiſſiõe Archipreſulum ſcãdaloſos libros Joannis Reuchlin nõ ſolũ in vniuerſitate Colonienſi viſendos doctoribus prebuit. veꝝetiam in alijs vniuerſitatibꝰ om̄i honore ⁊ laude dignis. vꝫ Louanienſi Erphordenſi. Moguntinenſi. qui ſimul cum Colonienſibꝰ libros illos examinauerũt ⁊ ad vnguẽ ꝑpendẽtes ſuis ſententijs doctrinalibus quid de illis agi potiſſimũ debeat deciderunt ⁊ ſancte determinauerunt. quemadmodũ nũc de ꝟbo ad ꝟbuꝫ legi poteſt.

¶ Sententia venerabilis ⁊ laudabilis vniuerſitatis Louanienſis facultatis Theologie cõtra ſpeculum oculare Joannis Reuchlin igne cõburendum pronunciata.

¶ Decanus totaq̄ facultas ſacre theologie vniuerſitatis ſtudij louanienſis. vniuerſis ⁊ ſingulis has noſtras lrãs viſuris. vel cum legent̄ audituris. Salutẽ Quamq̄ quilibet chriſtianus vero ac recto catholice fidei amore feruẽs

paratiſſimus eſſe debeat vt hereſes errores doctrinaſqꜫ pra
uas cõtra ſanctam fidez obortas pro ſui ingenij modo ex
tirpet atqꜫ eliminet Maxime tamẽ ⁊ ſpecialiter ſacre theo
logie profeſſoꝝ eſt prouincia. vt oſtendant. declarent ⁊ per
modum doctrine definiant que aſſertio heretica. que erro
nea. que poſtremo in fide ſuſpecta cenſeri debeat. vt parati
ſint rationem reddere de ea que in chriſtianis eſt fide. ne fi
lij tenebraꝝ pluſ q̃ꝫ oporteat ſapientes. in ſimpliciũ menti
bus catholice fidei lumen vel obſcurent vel extinguant.
Nup itaqꜫ venerabilis ac p̄clarus dñs ⁊ magiſter noſter
Jacobus de Hochſtraten. religioſus ordinis p̄dicatoꝝ. ar
tium ⁊ ſacre theologie profeſſor eximius. necnon heretice
prauitatis inquiſitor. libellum quendã ad nos attulit ſede
cim folia continẽtẽ. quem ⁊ ip̃e pñs ⁊ venerabilis decanꝰ,
totaqꜫ ſacra theologica facultas alme vniuerſitatis Colo
nieñ ꝑ lr̃as petierunt per nos legi. ⁊ viſitari ⁊ an recta ac in
tegra per omnia eſſent que contineret cenſeri. ¶ Nos vo
volentes libẽter tam ſanctam prouinciam obire. volentes
item p̄memorate facultati in quibꝰ poſſumus gratificari.
idqꜫ pro veteri inter nos predeceſſoreſqꜫ nr̃os atqꜫ eos ſin
gulari neceſſitudine libellum prenominatũ per ſingula fo
lia notarij noſtri manu ſubſignatum. quibuſdã ex ꝯfratri
bus nr̃is viſitandũ. legendum. examinandũqꜫ cõmiſimus
⁊ deinde ip̃i quoqꜫ oẽs vna cor̃ in loco cõgregati. qua po
tuimus vigilantia viſitauimus ⁊ relegimus. ſingula dili
genti examine ꝑpendentes Quod quidẽ cum faceremus
vnicorditer cenſuimus. libellum ip̃m varijs erroribus ⁊
aſſertionibus in fide non parꝝ ſuſpectis paſſim eſſe reſpſuz
⁊ inprimis pertinaci iudeoꝝ perfidie cõſentanea continere
Ideoqꜫ concorditer vnanimiqꜫ ſuffragio. matura delibera
tione preuia. iudicauimus libellum nõ ſolũ eſſe reijciendũ
ac reprobandum. ip̃iuſqꜫ vſum omnibus inhibendum.
verumetiam totuz igni exurendum. vt erroꝝ ip̃ius nulla
radix extet vnde eidem denuo pullulare poſſint. In horꝝ
autem teſtimonium curauimus hanc noſtram ſententiaz
ſeu cõcluſionem ꝑ notariũ nr̃m libello p̄dicto aſcribi. ac ei
dem Sigillũ q̃ in ſimilibꝰ vtimur ꝑ cordulaz appendi. Da
tum louanij. Anno dñi. M. D. xiij. Menſis Iulij. xxviij.
memorato ſigillo nr̃o in teſtimoniũ p̄miſſoꝝ bis appenſo.

¶ Sententia facultatis theologice ſtudij Colo
nien̄ cōtra ſpeculum oculare Joānis Reuchlin
igne cōburendum pronunciata.

¶ Uniuerſis ⁊ ſingulis p̄ntes lr̄as noſtras viſuris. lecturis vel audituris. Decanꝰ facultatis ſacre theologie inſignis vniuerſitatis ſtudij Colonien̄. ceteriqꝫ doctores ⁊ magi-ſtri in eadem facultate actu regentes. obſequioſam recom mendationem ac ſalutez in domino. Tametſi vniuerſaliter quiuis vere chriſtianus ex fidei catholice zelo ⁊ chriſti Je ſu domini noſtri charitate etiaz ad ſanguinem vſqꝫ in cor dis ſynceritate. operis effectualiter exhibitione ⁊ vite corꝑa lis diſpendio inimicis ac corruptoribus fidei ſacroſancte reſiſtere debeat ⁊ reluctari. precipue tamen ſacre theologie profeſſoribus eloquioꝝ diuinoꝝ tractatoribus negocium huiuſcemodi incumbit. quatenus armatura dei induti. lū bos charitatis ⁊ veritatis precincti. lorica iuſticie circunda ti. ſcuto fidei armati. galea ſalutis cooperti. ⁊ bicipiti vibrā tiqꝫ gladio verbi dei muniti. ad reſerandum veteris legis typum. ⁊ euangelice veritatis miſteriū inueniant idonei ⁊ ad reſiſtendum omni aduerſe poteſtati parati. Quatenus xp̄i ſaluatoris noſtri ⁊ orthodoxe fidei inimicoꝝ emulato rum atqꝫ pſeudo doctoꝝ molimina. errores atqꝫ ſuſpectas doctrinas. ab area eccl'ie doctrinaliter definiendo valeāt ex-tirpare. ¶ Quo circa dum dudū libellus quidā (cui titulꝰ ſpecli ocl'aris inſcribit̄) nob oblatꝰ ⁊ ad examinād traditꝰ fuiſſet. in quo de Thalmud ⁊ quibuſdā alijs iudeoꝝ libris nō cremandis agebat̄. eundemqꝫ tunc multipliciter ſuſpe ctum habuiſſemꝰ ⁊ iudaice ꝑfidie inordinate fauentez. fui mus tamen nuꝑ denuo per Egregium venerandūqꝫ p̄rem ⁊ dn̄m mgr̄m nr̄m Jacobū de hochſtraten. religioſum ordi nis p̄dicatorum. Artiū ⁊ ſacre theologie eximiuz profeſſo rem. necnō heretice prauitatis inquiſitorē. propter nōnulla imperialia ceteroꝝqꝫ Archipſulum mādata. ip̄m (vt aſſe-rebat) vrgentia legitime requiſiti. quatenus eundem libel lum quem in vernacula lingua impſſūz in ſe viginti folia ꝯtinentē denuo nobis obtulit rurſum legere ⁊ viſitare dig naremur. Et an talis hn̄dus eſſet qualē illū publica fama ⁊ p̄fata mādata viderentur reputare. Nos igit̄ intuitu dei

⁊ catholice fidei benigne hoc onꝰ ſuſcipientes. volenteſqꝫ etiam cauſis ſupranoīati inquiſitoris pro noſtro debito nō deeſſe. prenoīatum libellū certis ex confratribus noſtris et mgr̄is iterū reuiſendum diligentiuſqꝫ legendum ac exami‑nandū cōmiſimus Poſt quorū iudiciū ⁊ diligentiſſimuꝫ examē facultaliter ad nos reproductum Omnes ⁊ ſinguli ſub debito preſtiti iuramenti in eodem loco cōgregati dili‑gentia nobis poſſibili ſimul ſingula perluſtrauimꝰ. matu‑reqꝫ omnia perpēdentes tractauimus Et cū hoc faceremꝰ cōcorditer cenſuimꝰ ⁊ deliberauimꝰ libellum ipm pias au‑res chriſtifidelium ⁊ maxime ſimplicium grauiter offende‑re. multos quoqꝫ ⁊ varios articulos in fide plurimū ſuſpe‑ctos; ⁊ ſcādaloſos hereſim quoqꝫ ſapientes ⁊ iudeorū in pri‑mis perfidie conſentaneos cōtinere. Quapropt̄ vnanimi cōſenſu matura deliberatiōe preuia. iudicauimus p̄fatum libellum viginti foliorū per ſingula folia notarij noſtri ma‑nu ſubſignatum. nō modo ſupprimenduꝫ aut de manibꝰ chriſtifidelium tollendum. vſumqꝫ eiꝰ inhibendū. verūetiā flammis tradendū ⁊ igni cremandū eſſe. ne eius aliq̄tenus memoria remaneat. quo aliqn̄ in futurū ex eo poſſit error aut ſcandalū repullulare. in quorū p̄miſſorū oīm ⁊ ſinglorū fidem robur. ⁊ euidens teſtimoniū. hanc noſtrā ꝯcluſionē ⁊ ſniaꝫ catholicam ꝑ notariū noſtrum publicū illi libello (vt p̄fertur) nobis pn̄tato aſcribi fecimus Necnō ſigilluꝫ facultatis nr̄e p̄memorate eidem ꝑ cordulā ſericeā appendi Datū ⁊ actū Colonie in publica nr̄e ſacre theolo. facultā. ꝯgregatione In inſigni Cōuētu fratrū miorū habita Anno ſaluatoris dn̄i nr̄i Jeſu xp̄i. M. d. xiij. die. xvi. mēſ Augu.

¶ Sententia honorande facultatis theologice vniuerſita‑tis Erphordenſis pronunciata contra ſpeculum oculare ab Joanne Reuchlin editum. ſupprimendum ⁊ e mundo auferendum. cum tali annexo vt nulla gloſſemata nulle‑qꝫ declarationes (id quod notatu digniſſimum eſt) illud ſeu illum ſaluare poſſint.

¶ Quādoquidē oīm eſt ⁊ eorū maxime qui ſacroſctē theo‑ſophie profeſſioni ſacramēto ſeſe ꝯſtrinxerunt fidei veritati

vbi in periculo verſari videt̃ fidele perbibere teſtimoniuꝫ
Nos Hermānus Serges de doꝛſten artiū ⁊ ſacre theolo
gie pꝛofeſſoꝛ. decanus ceteriqꝫ magiſtri modo in ſtudio ge
nerali ac vniuerſali Erphoꝛdenſi Theologicam facultatē
repꝛeſentātes per venerabilem ⁊ religioſum prēm artium
⁊ ſacre theologie pꝛofeſſoꝛem eximiū oꝛdinis fratrum pꝛe
dicatoꝝ Conuentus Colonieñ. patrem Bernhardum de
Lutzenburgo requiſiti. quo libellum quendā decem ⁊ no
uem chartaꝝ de erroꝛib⁹ falſis· impijs· male ſonantib⁹. ac
hereticis ꝓpoſitionibus multoꝝ opinione ſuſpectū reuide-
remus. examinaremuſqꝫ· necnon ⁊ noſtra de illo pꝛo illiba
te oꝛthodoxeqꝫ fidei atteſtatione ⁊ ſcandali amotione ape-
riremus ſententiā. ſentimentumqꝫ panderem⁹ iuxta pꝛofeſ
ſionis noſtre debitū ⁊ charitatis legem refragari votis ne-
phas duximus· Quum itaqꝫ iamdudum iuxta Ce. Ma-
commiſſionem per Reuerendiſſimuꝫ in chꝛiſto patrem ⁊
dñm dñm Vrielem Archipꝛeſulem Moguntinū ſacri im
perij per Germaniam Archicancellarium ac pꝛincipē ele-
ctoꝛem. dñm noſtruꝫ gratioſiſſimū ⁊ oꝛdinariū. ſuꝑ dubio
de libꝛis iudeoꝝ cōburendis nec ne diſcutiendo nobis ex
hibitam. veluti obedientie filij pꝛout nobis viſum fuerat
ſub ſolita pꝛoteſtatione reſponderemus Ceſareā maieſta-
ac ita quēuis aliuꝫ pꝛincipē per terminos ſui dominij tene
ri. nedum decere vt a iudeis libꝛos falſitate ac blaſphemijs
xp̄iani nominis notatos quibus in ſui perniciem educant̃
⁊ quaſi ab vberib⁹ odiuꝫ in chꝛiſti ſaluatoꝛis noſtri nomē
ſugunt. quicunqꝫ illi ſint. pꝛorſus tollat. pꝛout ⁊ retroactis
ſeculis ab vtriuſqꝫ ſtat⁹ pꝛincipibus non ſemel factitatum
lr̄is pꝛoditum legim⁹. quemadmodum plenius in noſtra
conſultatione continet̃. quo etiam votis Reuerendi prīs
memoꝛati totiuſqꝫ venerandi collegij excellentiſſimoꝝ do
ctoꝝ theologice facultatis ſtudij Colonieñ confratrū atqꝫ
fautoꝝ noſtroꝝ in euum colendoꝝ pꝛo quoꝝ parte requi
rimur moꝛē gereremus Cū pꝛimis libelluꝫ eundem de ma
nu publici Notarij. a facie ⁊ doꝛſo ſingulaꝝ chartaꝝ con
ſignari iuſſimus. atqꝫ quoad potuim⁹. reuidim⁹. examina
uimus ⁊ diligēter ꝑſpeximus. inuenimuſqꝫ auctoꝛē ipſius
alioquin ſingularis ac p̄eminentis eruditiōis viꝝ doctiſſi
mum. triplicis lingue. hebꝛaice. grecanice. atqꝫ latine. peri

tiſſimū celebri fama de vite ac moꝝ integritate nobis mul
tipliciter commendatū. ⁊ prout ꝯmendabilis ſua teſtatur
proteſtatio. quā conſultationi ſue ⁊ pmiſit ⁊ ſubnexuit bo
num ac catholicum chriſtianum. ſe ſuaqꝫ Romane eccl'ie
determinationi hūillime ſubijcientem. forenſiuz phoꝝqꝫ
more liberis ꝟbis vſum. nec ad diui Auguſtini preceptio
nem certam loquendi regulam que Theologuz ⁊ de fidei
miſterijs ad intelligendum difficillimis verba facturꝫ dece
ret vndiqꝫ obſeruaſſe. ⁊ quū ſupioris ac ordinarij ſui aucto
ritate. requiſitus. non ſua ſponte ſeſe ingeſſerit. nec per mo
dum determinationis in publicum ſed conſultationis ad
principem clementiſſimuz conceptum ſuū ſub Sigilli de
creto emiſiſſet. minus extimuit ſeu preuidit. quēpiaz ex di
ctis ſuis errandi ſumptuꝝ occaſionem. aut ſcandaliſatuz
iri. ¶ Quapropter quū ex verbis incaute prolatis ſepe er
ror oriatꝰ ⁊ hereſis. ⁊ libellus memoratus non vndiquaqꝫ
ſatis digeſtus ſobriuſqꝫ ⁊ adamuſſim librat⁹ appareat. qꝺ
minus pertinentꝰ nōnunqꝫ ſacra citentꝰ eulogia. minuſqꝫ re
uerenter eccl'iaſticoꝝ qꝫ hebraicoꝝ doctoꝝ fiat memoria. ac
nimis generales ⁊ vniuerſales in eo nōnulle cōtinentꝰ ꝓpo
ſitiones. ex quibus ⁊ ſi citra auctoris intentionez falſa ac
heretica elici deduciqꝫ poſſent dogmata: ſimplices chriſtia
ni ſcandalizari. perfidi iudei in cecitate ſua confortari. alia
qꝫ chriſtiane noſtre religioni euenire incōmoda. iudicam⁹
ſepe fatuz libellū (citra tamen auctoris ſui notam ac igno
miniam. ne regis idumee oſſa in cineres vſqꝫ conſumantꝰ)
ſupprimendū. tollendū. e medio delendum. ac cōmuni ho
minum ſimpliciū maxime ⁊ eoꝝ quoꝝ poſſet eſſe offenſiu⁹
vſui prorſus intercidendum. minime obſtante. ꝙ vniuerſa
ipſius dicta gloſas aut expoſitiones aliquas. vel ſenſus lo
gicales veros habere poſſint aut de vi grāmatice vel logi
ce aliquam recipere defenſionez. aut ſi ſeorſuz ponerentur
ad ſenſuz aliquem poſſent trahi veꝝ. In quoꝝ fidē robur
ac euidens teſtimoniū duximus has noſtras lrās patētes
Sigilli noſtre facultatis appenſione muniendas Actum
Erphordie in ꝯgregatiōe noſtra. Anno grē. M. D. xiij. die
vero tertia menſis Septembris. de mādato dn̄oꝝ decani
ceteroꝝqꝫ magiſtroꝝ facultatis Theologice ſtudij Erphor
deñ. Hāmannus kruoff notarius ſubſcripſit

¶ Sententia facultatis theologice ſtudij Mogũtini pronũciata contra Speculũ oculare Joãnis Reuchlin e medio tollendum.

¶ Uniuerſis ⁊ ſingulis preſentes noſtras inſpecturis vel audituris Nos decanus ordinarius. ceteriqꝫ theologice profeſſionis magiſtri ⁊ doctores vniuerſalis gymnaſij Moguntini in noticiam deduci volumus preſentium tenore. nos veluti ſacre Theologie ⁊ veritatis profeſſores pro orthodoxe fidei tuitione ac defenſione requiſiti. quendam libellum vernacula lingua editum per Joãnem Reuchlin ſacrarum legum doctorem vti prenotat᷑ congeſtum. ac ſpeculum oculare nuncupatuꝫ diligenti ſuſpicio legeremus. ſingulaſqꝫ ſententias in eodem libello poſitas veritatꝭ quaſi libra penſaremus Nos itaqꝫ vti decet vere fidei catholice ⁊ chriſtiane veritatis profeſſores ſummo ſtudio ardentiqꝫ affectu ea que chriſti ſunt amplexantes. prenotatũ libellum diligentiſſima q̄ potuim⁹ lucubratiõe ꝯſpeximus iterum atqꝫ iteꝝ vidimus ac legimus. complures (heu dolenter ſcribimus) in eodem dicto libello ſententias deprehendimus piaꝝ aurium offenſiuas aut paruuloꝝ ſcandalum illatiuas. ſacrorum doctoꝝ irreuerentiam euomatiuas. iudaice perfidie fauores nutritiuas. vel etiam de hereſi ſuſpectas. Quia tamen prenominatus doctor Joãnes Reuchlin in calce dicti libelli proteſtat⁹ eſt nihil aliud velle ſapere aut ſentire. p̄terquã xp̄ianum deceat viꝝ. ſubmittẽs ſeſe ac ſcripta ſua determĩationi eccl'ie. ideoqꝫ q̄tuꝫ huic proteſtationi actum ꝯtrarium non fecerit honorẽ famãqꝫ viro ſuamus. matura quoqꝫ deliberatiõe prehabita. libellũ dictuꝫ vnanimiter doctrĩali more tollendũ. hoĩm vſui prohibendum atqꝫ damnãdum iudicamus. Datum Mogun. Anno dñi. M. D xiij. die vero Jouis menſis Octobris. xiij. noſtreqꝫ profeſſionis ſigilli ſub appenſiõ. De mandato venerabil' ⁊ eximij dñi Theol. facul. decani ⁊ ordi.

Jo. fritz Notarius ⁊ bedellus ſſzt.

¶ His actis. Juxta cõmiſſionez imperatoris ⁊ ſñias vniuerſitatum vt antea demonſtratum eſt: heretice prauitatis magiſtri per cõſenſum Archiepiſcopoꝝ ⁊ iuxta iuramentum

ſacroſancte ſedi apl'ice preſtitū. libellum Joānis Reuchlin corripiendum aſſumpſerunt Et in medio huius negocij Reuchlin per ſuas calliditates ⁊ dolos extreme per fas ⁊ nefas laborauit ad chriſtianam veritatem impediendam. etiam vt hec cauſa prolongaretur Atqui non perpendens aīo bon⁹ hic vir qd ex ſuis ſuſpēſionib⁹. impedimētis. diſſuaſionib⁹. vafricijs ⁊ vaniloquētia. oīb⁹ xpifidelib⁹ mali accidere poſſet. Et ſic a ſede apl'ica ( velut p apparentiā boni ) cōmiſſionem Spire. etiā aliquos iudices iuxta ſuā voluntatem impetrauit. in ſua narratiōe, ꝓponens. qſi vniuerſitas Colonieñ ac here. prauitatis mgr̄ hoc ex inuidia feciſſent. id quod in ſe falſiſſimū eſt. cū nullā antea controuerſiam cū eo vnq̄ȝ habuerint. ſicut ep'le etiā ipi⁹ ad nos frequēter miſſe luce clari⁹ teſtanť. ⁊ ſicut etiā ſnā Erphordenſiuȝ ſatis liquido oſtendit. qui cū ſingulari q̄dam recōmēdatōe illū extollerent. in fine tñ ob veritatis amoreȝ grauiſſime condemnarūt Ceteꝝ omnia hec. hoc eſt ipius ex vrbe Ro. cōmiſſionē min⁹ iuſte. immo iniuſtiſſime acquiſitā heretice praui. magiſter non curauit Sed ex commiſſione Ceſaree maieſtatis: ⁊ ſententia vniuerſitatū cum appoſitiōe man⁹ Archiepi Colonieñ Speculuȝ ocl'are Joānis Reuchlin iudicialiter Colonie ablatum ꝑpetuis diebus condemnatum publice tādem in eccl'ia ſcti Andree comburi iuſſit. ſicuti ſentētia ſequens de verbo ad verbum idipm atteſtať

Sententia Alterius heretice prauitatis inquiſitoris contra ſpeculum oculare Joannis Reuchlin.

¶ Chriſti crucifixi noſtra opprobria. ſue incarnationis ⁊ amare paſſionis miſterijs delentis nomine inuocato. Pro tribunali ſedentes ⁊ ſolum deum. eius iuſticiam ⁊ religionem pre oculis habentes ipſiuſq̄ȝ in religionem diuinam ( que in omnium tendunt iniuriam ) cōmiſſa opprobria. ac heretice ſupſtitionis inuia. inulta dimittere nolentes. in cauſa inquiſitionis contra ſpeculum oculare Joāni Reuchlin inſcriptum: in proceſſu cauſe clarius deſignatuȝ inſtitute ( citra tñ ipſi⁹ auctoris notam quē ob eius humilem ſubmiſſionem ⁊ alia eius laudabilia ſcripta pro catholico

habemꝰ. Poteſt nāq̄ nō hereticus dicta hereſim ſapien
tia ſcribere. vt de abbate Joachim apud iura conſtat) per
hanc noſtrā diffinitiuā ſententiā. quā actis cauſe meritis
diligenter viſis ⁊ reuiſis Theologoꝝ ⁊ iuriſperitoꝝ nobis
cōmunicato conſilio pariter ⁊ aſſenſu. ferimus in his ſcrip
tis. pronunciamus. decernimus ⁊ declaramus memoratū
libellum hereſes ſapientem. ⁊ errores multos continētem
perfidis iudeis pluſq̄ deceat fauorabilem. eccl'ie dei iniurio
ſum. ac ſacris eccl'ie doctoribus irreuerentialem. chriſtifide
lium marie ſimpliciū ſcandaliſatiuū. ipm q̄ p̄terea (ſcrip
tura ſeu impreſſoria arte per Colonieñ dioceſim multipli
catum) cōmuni hoim vſui interdicendū. condēnandum.
ſupprimendū. tollendum. ac igni publice cōcremandum.
pront interdicimus. cōdemnamus. ſupprimimꝰ. tollimꝰ.
pariter ⁊ igne concremari precipimꝰ.

